culis, et immensa curarum mole sibi comparasse deberent, sed nemo sollicito bono frui potest, neque ad felicitatis unquam perveniunt; non enim ut natura fert copiam satietas sequitur, exuescit in dies habendi fames, quantum ipsa pecunia crescit et desiderium parta augent, ut aegrorum sitim potus accendit et ignis arentibus lignis non extinguitur, sed magis augetur ita coacta divitiae ieiunae mentis aviditatem acuunt, non extinguunt. Accedit et nova calamitas, multiplicanturque cura dum diu noctuque cogitant, ne tinearum, aut tempestatum iniuriis; latronum, aut furum ~~[illegible]~~ malitia, aut perfidorum hominum fraudibus ac imposturis exposita opes pereant. aut fortuito casu ipsis abripiantur; itaque vitam timore plenam, anxietate sollicitam, calamitate miseram, angore, moeroreque animi semper periculosam agunt, cumque semper in rem suam intenti sint, continuis tristitiae nebeculis obducta animum habent, rara in vultu hilaritas, rara in alloquio hilaritas, affabilitasque apparet, moeror, ac labor cor ipsorum exedens ita illos macerat, ut perpetuis curis torqueantur affligantur que; quemadmodum Sutor ille, quem Dives quidam postica habitantem, et animo à curis vacuo dulcissimas quotidie modulantem cantilenas, magna auri summa ditarat accepta pecunia omnis letitiae solitus conticuit.

Fingite si lubet, videre vos sordidum quendam hominem, vel hominis potius portentum dixerim, qui sit capite usque ad cutem raso, ne saepius tonsoris opera indigeat, qui vestes tritas, attritas, et ex mille discoloribus panniculis consutas habeat domi nudipes, ne calcei atterantur, incedat; agrum quotidie an limites immoti eodem loco maneant, inspiciat. Si famulorum quispiam vas aliquod, vel quidvis aliud fregerit